legato [1], partus ejus ad fructuarium non pertinent. §. 20. Gregis uſufructu legato, grege integro manente, fœtus [2] ad uſufructuarium pertinent. §. 21. Areæ uſufructu legato, ædificia [3] in eo conſtitui non poſſunt. §. 22. Acceſſio alluvionum ad fructuarium fundum, quia fructus fundi non eſt, non pertinet: venationis [4] vero, & aucupii reditus ad fructuarium pertinet. §. 23. Servos neque torquere, neque flagellis cædere [5], neque in eum caſum facto ſuo perducere uſufructuarius poteſt, quo deteriores fiant. §. 24. Fructu legato ſi uſus non adſcribatur, magis placuit uſumfructum videri adſcriptum. Fructus enim ſine uſu [6] eſſe non poteſt. §. 25. Si alteri uſus, alteri fructus legatus ſit, fructuarius in uſum concurrit [7], quod in fructu uſuarius facere non poteſt. §. 26. Cum conjunctim duobus uſumfructum do, lego, legatum altero mortuo, ad alterum [8] in ſolidum pertinebit. §. 27. Uſufructu legato, de modo utendi cautio a fructuario ſolet interponi: & ideo perinde omnia ſe facturum [9], ac ſi optimus paterfam. uteretur, fidejuſſoribus oblatis cavere cogetur.

§. 28. Uſusfructus amiſſus ad proprietatem [10] recurrit. Amittitur autem quinque modis, capitis minutione, rei mutatione, non utendo, in jure ceſſione, dominii comparatione. §. 29. Capitis minutione amittitur [11], ſi in inſulam fructuarius deportetur, vel ſi ex cauſa metalli ſervus pœnæ efficiatur, aut ſi ſtatum ex adrogatione, vel adoptione [12] mutaverit. §. 30. Non utendo amittitur uſusfructus, ſi poſſeſſione fundi biennio fructuarius non utatur, rei mobilis anno [13].

§. 31. Rei mutatione amittitur uſusfructus [14], ſi domus legata incendio conflagraverit, aut ruina perierit, licet poſtea reſtituatur [15].

§. 32. In jure ceſſione amittitur uſusfructus, quotiens domino proprietatis [16] eum fructuarius in jure ceſſerit. §. 33. Finitur [17] uſusfructus aut morte, aut tempore. Morte, cum uſufructuarius moritur. Tempore, quotiens ad certum tempus uſusfructus legatur, velut biennio, aut triennio. §. 34. Fundo, vel ſervo [18] legato, tam fundi inſtrumentum, quam ſervi peculium ad legatarium pertinet.

§. 35. Quærendorum fructuum cauſa [19] eſſe videntur, qui opus ruſticum faciunt, & monitores, & villici, & ſaltuarii [20], item boves aratorii, aratra, bidentes, & falces putatoriæ, frumentum quoque ad ſementem repoſitum. §. 36. Cogendorum fructuum cauſa [21] comparata inſtrumento cedunt, velut corbes, alvei, falces meſſoriæ, & fœnariæ, item molæ olivariæ. §. 37. Conſervandorum fructuum cauſa comparata [22], inſtrumento cedunt, velut dolia, cupæ, vehicula ruſtica, cibaria, piſtores, aſini, focariæ [23], item ancillæ, quæ veſtimenta ruſticis faciunt: ſcotra quoque & ſutor continebuntur.

§. 38. Uxores [24] eorum, qui operantur, magis eſt, ut inſtrumento cedant. Pecora [25] quoque, & paſtores eorum ſtercorandi cauſa parata, inſtrumento continentur. §. 39. Ea autem, quæ cuſtodiæ magis cauſa, quam ad uſus patrisfamiliæ eo delata ſunt, inſtrumenti nomine [26] non continentur. §. 40. Uxores eorum, qui mercedes [37] præſtare conſueverunt, neque inſtructionis, neque inſtrumenti appellatione continentur. §. 41. Piſcationis, & venationis inſtrumentum ita demum inſtrumento fundi continetur, ſi ex his [28] maxime fundi reditus cogatur. §. 42. Fructus percepti inſtrumento fundi ita demum cedunt, ſi ibidem abſumi a teſtatore conſueverunt [29].

§. 43. Fundo cum omni inſtrumento ruſtico, & urbano, & mancipiis, quæ ibi ſunt, legato, ſemina quoque, & cibaria [30] debebuntur.

§. 44. Fundo cum omni inſtrumento ruſtico, & urbano, & mancipiis, quæ ibi ſunt, legato, tam ſupellex [31], quam æramentum, itemque argentum, & veſtes, quæ ibi paterfam. inſtruendi gratia habere ſolet, debebuntur. Item ea mancipia, quæ uſui patrifam. eſſe ſolent. Itemque aves, & pecora, quæ inſtruendarum epularum gratia in fundo comparata ſunt, exceptis his, quæ ibi cuſtodiæ cauſa depoſita ſunt. §. 45. Fundo legato, *uti optimus maximusque eſt* [32], retia, apraria, & cetera venationis inſtrumenta continebuntur: quod etiam ad inſtrumentum pertinet, ſi quæſtus fundi ex maxima parte in venationibus conſiſtat. §. 46. Fructus, qui ſolo cohærebant mortis teſtatoris tempore, ad legatarium pertinent [33]: ante percepti, ad heredem [34]. §. 47. Fundo legato cum mancipiis & pecoribus, & omni inſtrumento ruſtico, & urbano, peculium [35] actoris ante teſtatorem defuncti, ſi ex eodem fundo fuerit, magis placet ad legatarium pertinere. §. 48. Actor, vel colonus ex alio fundo in eodem conſtitutus, qui cum omni inſtrumento legatus erat, ad legatarium non pertinet: niſi eum ad jus ejus fundi [36] teſtator voluerit pertinere.

§. 49. Adjunctiones, quas fundo legato teſtator ex diverſis emptionibus applicaverat [37], legatario cedere placuit. §. 50. Inſtructo prædio legato fabri ferrarii, item lignarii, putatores, & qui inſtruendi fundi [38] gratia ibidem morabantur, legato cedunt. §. 51. Inſtructo fundo legato, libri quoque & bibliotheca [39], quæ in eodem fundo ſunt, legato continentur. §. 52. Servum ſtudendi gratia ex eodem fundo [40], qui cum mancipiis fuerat legatus, alio tranſlatum ad legatarium placuit pertinere. §. 53. Fundo ita ut poſſederat legato [41], mancipia tam urbana, quam ruſtica, itemque aurum, & veſtes, quæ eodem tempore in fundo comprehenduntur, ad legatarium pertinent.

§. 54. Paſcua, quæ poſtea comparata ad fundum legatum teſtator adjunxerat [42], ſi ejus appellatione contineantur, ad legatarium pertinent.

§. 55. Quidquid in eadem domo [43], quam inſtructam legavit paterfam. perpetuo inſtruendi ſe gratia habuit, legatario cedit. §. 56. Inſtructa domo legata, ea legato continentur, quibus domus munitior, vel tuta ab incendio præſtatur, tegulæ, ſpecularia, vela [44] legato continebuntur. Item æramenta, lecti, culcitræ, pulvinaria, ſubſellia, cathedræ, menſæ, armaria, delphicæ, pelves, conchæ, aquiminalia, candelabra, lucernæ, & ſimilia quacumque materia expreſſa.

§. 57. Domo legata, balneum ejus, quod publice præbetur, niſi alias ſeparetur [45], legato cedit. §. 58. Domo cum omni jure ſuo ſicut inſtructa eſt, legata, urbana familia, item artifices [46], & veſtiarii [47], & zetarii, & aquarii eidem domui ſervientes, legato cedunt.

§. 59. Omnibus, quæ in domo ſunt legatis, cautiones debitorum, rationesque ſervorum legato [48] cedunt. §. 60. Mobilibus legatis, aurum, vel argentum [49] non debetur, niſi de eis quoque manifeſte ſenſiſſe [50] teſtatorem poſſit oſtendi. §. 61. Inſtrumento cauponio legato, ea debentur, quæ in cauponii uſum parata ſunt, velut vaſa, in quibus vinum diffunditur, eſcaria quoque, & pocularia vaſa debentur. Sane miniſtri [51] earum rerum legato non cedunt. §. 62. Inſtrumento medici legato, collyria, & emplaſtra, & apparatus omnis [52] conficiendorum medicamentorum, itemque ferramenta legato cedunt.

§. 63. Inſtrumento pictoris legato, colores, penicilli, cauteria [53], & temperandorum colorum vaſa debentur. §. 64. Piſtoris inſtrumento legato, cribra, aſini, molæ [54], & ſervi, qui piſtrinum exercent, item machinæ, quibus farinæ ſubiguntur, legato cedunt. §. 65. Inſtrumento balneatorio legato, balneator ipſe [55], & ſcamna [56], & hypodia, fiſtulæ, miliaria, epitonia, rotæ aquariæ, jumenta quoque, quibus ligna deferuntur, legato cedunt. §. 66. Inſtrumento piſcatoris legato, retia, & naſſæ, & fuſcinæ, & naviculæ, hami quoque & cætera [57] ejusmodi uſibus deſtinata debentur. §. 67. Supellectile legata [58], capſæ, armaria, non ſolum librorum, aut quæ veſtis ponendæ gratia parata ſunt, debentur, ſed & byſſina, & [59] cryſtallina, & argentea, vitrea vaſa, tam eſcaria, quam pocularia [60], & veſtes ſtratoriæ legato cedunt. §. 68. Villis, vel agris ſeparatim legatis, alterum alteri [61] cedit. §. 69. Servis legatis, ancillæ quoque debentur, non item ſervi legatis ancillis. Sed ancillarum appellatione tam virgines, quam ſervorum, pueri [62] continentur, his ſcilicet exceptis, quæ fiduciæ [63] datæ ſunt. §. 70. Servis amanuenſibus legatis, omnes, qui ex converſatione urbana, & in miniſterio fuerunt, debebuntur, niſi ex his aliqui perpetuo ad opus ruſticum transferantur. §. 71. Venatores ſervi, vel aucupes, an inter urbana miniſteria contineantur, dubium remanſit: & ideo voluntatis eſt quæſtio: tamen ſi inſtruendarum quotidianarum epularum gratia habentur [64], debentur. §. 72. Muliones [65], inſtitores inter urbana miniſteria continentur, item obſonatores, & veſtiarii, & cellararii [66], & cubicularii, & arcarii, & coqui, placentarii, tonſores, piſtores, lecticarii. §. 73. Pecoribus legatis, quadrupedes omnes continentur, quæ gregatim [67] paſcuntur.

§. 74. Jumentis legatis [68], boves non continentur. Equis vero legatis, equas quoque placuit contineri. Ovibus autem legatis, agni continentur, niſi annuales ſint. §. 75. Grege ovium legato, arietes [69] etiam continentur. §. 76. Avibus legatis [70], anſeres, phaſiani, gallinæ & aviaria debebuntur. An autem phaſianarii, & paſtores anſerum, voluntatis quæſtio eſt. §. 77. Dulcibus legatis, ſapa, defrutum, mulſum, dulce etiam vinum, palmæ, caricæ, uvæ paſſæ [71] debebuntur. Sed in hoc quoque voluntatis eſt quæſtio, quia & in ſpecie pomorum comprehendi poſſunt. §. 78. Frugibus legatis [72], tam legumina, quam ordeum, & triticum continentur. §. 79. Veſte legata ea cedunt, quæ ex lana, & lino texta ſunt: item ſerica, & bombycina, quæ tamen induendi, operiendi, cingendi, ſternendi, injiciendive cauſa [73] parata ſunt: pelles quoque indutoriæ continebuntur. §. 80. Veſte virili legata, ea tantummodo debebuntur, quæ ad uſum virilem ſalvo pudore attinent. Stragula [74] quoque huic legato cedunt. §. 81. Muliebri veſte legata, omnia, quæ ad uſum muliebrem [75] ſpectant, debebuntur. §. 82. Lana legata ſive ſuccida, ſive lota ſit, ſive pectinata,

1 Scripſimus in *l. 4. ff. de uſurp. & uſucap.* 2 *l. 68. §. ult. ff. de uſufr.* 3 *l. 7. §. 1. verſ. hac ratione. ff. de uſufruct.* 4 *l. 9. §. 4. 5. ff. de uſufruct.* 5 *l. 17. §. 1. l. 23. in fin. ff. de uſufr.* 6 *l. 14. §. 1. ff. de uſu & hab.* 7 *l. 14. §. pen. ff. de uſu & habit.* 8 *l. 1. §. interdum. ff. de uſufr. adcreſ.* 9 *l. ult. ff. uſufr quemad. cav.* 10 *§. ult. Inſt. de uſufruct.* 11 Ex Conſtitutione Juſtiniani uſusfructus minima capitis minutione non amittitur. *l. penult. C. de uſufruct.* 12 Correctum per *l. ult. C. eod.* 13 Ex conſtitutione Juſtiniani rei mobilis triennio, immobilis decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes non utendo amittitur. *l. penult. C. de ſervit. & aq.* 14 *l. 5. §. 2. ff. quib. mod. uſusfr. amit.* 15 *l. 10. §. pen. ff. eod.* qua in re diſtat uſusfructus a ſervitute. *l. 20. §. 2. ff. de ſerv. urb.* 16 *l. 66. ff. de jur. dot.* 17 Differentiam facit inter amittere, & finiri. 18 Pugnat cum *l. 24. ff. de pecul. legat.* & cum *l. ult. ff. de ſup. leg.* 19 *l. 8. ff. de inſtruct. vel inſt. leg. l. 12. §. 1. ff. eod. tit.* 20 *l. 12. §. 4. ff. eod.* 21 *d. l. 8. l. 10. & l. 24. eod. tit.* 22 *d. l. 8. l. 12. §. conſervandi. ff. eod.* 23 Quidam habent *ſocariæ*: ſed *focariæ* rectiſſimum eſt, ut in *d. l. 12. §. Trebatius. & §. prox. & l. 15. eod. tit. l. 2. C. de don. int. vir. & uxor. l. 3. C. de condit. inſ.* 24 *l. 12. §. uxores. ff. de inſtr. vel inſt. leg. l. 60. §. ult. ff. de leg. 3.* 25 Paſcendi cauſa parata, ut ex eis fructus capiantur, inſtructo cedunt *l. 2. C. de verb. ſignif.* ſed non inſtrumento. *l. 9. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* 26 Sed neque inſtructi ſunt. *l. 12. §. ſed ſi fundus. D. de inſtr. vel inſtr. leg. l. 1. C. de verb. ſign.* 27 Putem & eos, qui mercedes præſtant, inſtrumento non contineri, argum. *l. 12. §. ſi aliqua parte. l. 19. §. ultim. D. de inſtruct. vel inſtr. leg.* 28 *d. l. 12. §. ſi in agro.* 29 *d. l. 12. §. Celſus. l. 1. C. de verb. ſign.* 30 *d. l. 12. in princ. l. 18. §. item cum fundus. D. eod.* 31 Inſtrumento legato, ſupellex non continetur. *d. l. 12. §. ſupellex. l. 16. D. inſtruct. vel inſtr. leg.* At inſtructo etiam ſupellex. Hæc verba, *Cum omni inſtrumento ruſtico, & urbano*, inſtructi plenam ſignificationem continere hæc Pauli ſententia demonſtrat. 32 *l. 22. D. de inſtruct. vel inſtr. legat.* 33 Hoc quidam non admittunt, argum. *l. 9. D. ad legem Falcid.* omnino male. Nam lex non de fundo legato, ſed de fundo hereditario tractat. 34 Niſi mora interceſſerit. *l. ult. C. de uſur. & fruct. leg. l. 39. §. fructus. D. de legat. 1.* 35 *l. 20. §. 3. D. de inſtruct. vel inſtr. leg.* Extat hæc Pauli ſententia in *l. 22. D. de inſtruct. vel inſtr. leg.* 36 *l. 20. §. idem quæſiit. l. 12. §. idem reſpondit prædiis. 38. D. de inſtr. vel inſtr. leg.* 37 *d. l. 20. §. tyrannæ.* 38 Hæc eadem legato fundo cum inſtrumento, contineri ſatis conſtat ex *l. 12. & l. 18. §. de putatorib. eod.* 39 *l. 12. §. inſtructo item fundo. D. de inſtr. vel inſt. leg.* 40 *l. 20. §. Pamphilæ. D. de inſtruct. vel inſtr. leg. l. 78. in prin. D. de leg. 3.* 41 Hoc verbo, *uti poſſedi*, inſtructus fundus ſignificatur. *l. 91. §. 1. ff. de legat. 3.* 42 *l. 20. §. tyrannæ. ff. de inſtr. vel inſtr. legat.* 43 *l. 1. & 2. C. de verb. ſign.* 44 *l. 12. §. vela. §. ſpecularia. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* 45 *l. 91. §. balneas. ff. de legat. lib. 3.* 46 *l. 12. §. idem reſpondit, domo ita ut. 42. ff. de inſtruct. vel inſtr. legat.* 47 Malim *hoſtiarii*: veſtiarii enim patrifamilias, hoſtiarii domui deſerviunt. 48 Dubium non eſt, quin, ut in *l. 12. §. penult. ff. de inſtruct. vel inſtr. legat. & l. 92. ff. de leg. 3.* hoc loco legendum, *Legato non cedunt*, & pro *rationes*, *emptiones*. 49 *l. 79. §. 1. ff. de legat. 3.* 50 *l. 8. ff. de ſupell. leg.* 51 Pugnat cum *l. 17. §. ult. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* adhibenda eſt diſtinctio *l. 13. ff. eod.* 52 *l. 18. §. in inſtrumento. ff. de inſtruct. vel inſtr. leg.* 53 *l. 17. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* 54 *l. 18. §. 1. ff. eod. tit.* 55 *l. 13. in fin. l. 17. §. ultim. ff. eod. tit.* 56 Scamna pro ſubſelliis. *l. 2. C. Theod. de contrahend. empt. l. 3. ff. de ſupell. leg.* 57 Sed & piſcatores, *l. 17. §. 1. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* 58 *l. 3. §. 2. D. de ſupell. legat.* 59 Puto legendum, *ſed & myrrina*, ex *d. l. §. de murrinis.* 60 Myrrina, cryſtallina, vitrea vaſa tam eſcaria, quam potoria ſunt in ſupellectile. *l. 11. ff. de ſupell. legat.* At quia argentum, aurumve factum a ſupellectile ſeparatur, nec ſupellectilis legato continetur. *l. 1. l. 7. ff. de ſupell. legat.* dubitari poteſt, eſcaria, vel potoria vaſa quæ aurea ſunt, vel argentea, item candelabra, pelves, lecti, menſæ, & cetera his ſimilia argentea, vel aurea, ſupellectilis ſint, an argenti, vel auri. Et receptum eſt in ſupellectile eſſe candelabra, lectos, & his ſimilia cujuscumque materiæ ſint, niſi cum argentea eſſent, vel aurea, ea teſtator vel auri, vel argenti numero habuit. *l. 19. §. lectum plane. l. 27. §. penult. ff. de aur. & argent. legat. l. 3. §. ultim. ff. de ſupell. legat.* Rurſus argentea, vel aurea vaſa, tam eſcaria, quam potoria argenti, vel auri numero haberi, niſi probetur ea teſtatorem ſupellectili annumeraſſe. *d. l. 3. §. pen. & l. 4. eod.* 61 *l. 15. in fin. ff. de inſtruct. vel inſtr. legat. l. 35. ff. de uſufruct. legat.* 62 *l. 81. ff. de legat. 3.* 63 *l. 73. ff. de legat. 3.* 64 Vel niſi eos paterfamil. inter urbanos annumerare ſolitus ſit. *l. 99. §. 1. ff. de legat. 3.* 65 Niſi rei ruſticæ parati ſint. *l. 60. §. 1. l. 99. §. muliones. ff. de legat. 3.* 66 Cellararii ſunt, qui ideo præpoſiti ſunt, ut rationes ſalvæ ſint. *l. 12. §. cellararium. ff. de inſtr. vel inſtr. leg.* 67 Ut equi, muli, aſini, oves, boves, capræ, ſues. *l. 65. §. 4. ff. de leg. 3.* 68 *l. 60. l. 65. §. 5. 6. 7. ff. de legat. 3.* 69 *l. 99. §. ult. ff. de leg. 3.* 70 Extat hæc ſententia in *l. 66. ff. de leg. 3.* 71 *l. ultim. §. ultim. ff. de tritico, vino & ol. leg.* Quanquam palmæ, caricæ, uvæ paſſæ, ficus, inter poma etiam numerari poſſint. *l. 205. ff. de verb. ſign.* Itaque facti ſive voluntatis, in æſtimatione judicis quæſtio eſt. *l. 7. C. de fideicom.* 72 *l. 77. ff. de verbor. ſignif.* 73 *l. 23. §. 1. & §. ult. & l. prox. ff. de aur. & arg. leg.* 74 *l. 23. §. virilia. ff. de aur. & arg. leg.* 75 *d. l. 23. §. muliebria.*

ſive

CONSULTA
EN LA SALA

ſive verſicoloria [1], legato cedit. Purpura vero, aut ſtamen ſubtemenve hoc nomine non continentur. §. 83. Mundo muliebri legato, ea cedunt, per quæ munditior mulier [2], lautiorque efficitur: velut ſpeculum, conchæ, ſituli, item buxides, unguenta, & vaſa, in quibus ea ſunt: item ſella balnearis [3], & cetera ejusmodi. §. 84. Ornamentis legatis [4] ea cedunt, per quæ ornatior efficitur mulier, veluti anuli, catenæ, reticuli, & cetera [5], quibus collo, vel capite, vel manibus mulieres ornantur. §. 85. Argento legato [6], maſſæ tantummodo debebuntur: Vaſa enim, quæ proprio nomine ſeparantur, legato non cedunt: quia nec lana legata [7], veſtimenta debebuntur.

§. 86. Vaſis argenteis legatis ea omnia continentur, quæ capacitati alicui parata ſunt: & ideo tam potoria, quam eſcaria, item miniſteria omnia debebuntur, veluti urceoli, lances, patinæ [8], piperataria, cochlearia quoque, itemque trullæ, calices, ſcyphi, & his ſimilia.

§. 87. Libris legatis, chartæ, volumina, membranæ, & philuræ continentur: Codices quoque debentur. Librorum enim appellatione non volumina chartarum [9], ſed ſcripturæ modus, qui certo fine concluditur, æſtimatur. §. 88. Auro legato, gemmæ quoque incluſæ [10], itemque margaritæ, & ſmaragdi legato cedunt. Sed magis voluntatis eſſe quæſtionem. Infectum enim aurum debetur, factum ornamentorum genere continetur. §. 89. Vaſis argenteis legatis, emblemata [11] quoque ex auro infixa legato cedunt. §. 90. Argento potorio legato, omnia [12], quæ ad poculorum ſpeciem comparata ſunt, debebuntur, veluti pateræ, calices, ſcyphi, urceoli, œnophoria, & conchæ. §. 91. Carruca cum junctura legata, mulæ [13] quoque legatæ, non mulio videtur, propter quotidianam loquendi conſuetudinem.

§. 92. Prolatis codicillis, vel alio teſtamento quibus ademptum eſt legatum, vel certe reſciſſum [14], perperam ſoluta repetuntur.

TIT. VII.
DE MORTIS CAUSA DONATIONIBUS.

§. 1. Mortis cauſa donat, qui ad bellum proficiſcitur, & qui navigat, ea ſcilicet conditione [15], ut ſi reverſus fuerit, ſibi reſtituatur: ſi perierit, penes eum remaneat, cui donavit.

§. 2. Donatio mortis cauſa ceſſante valetudine, & ſecuta ſanitate, pœnitentia etiam revocatur [16]: Morte enim tantummodo convaleſcit.

TIT. VIII.
AD LEGEM FALCIDIAM.

§. 1. Exhauſta legatis, aut fideicommiſſis, vel mortis cauſa donationibus [17] hereditate, auxilio Falcidiæ inſtitutus heres quadrantem retinere poteſt. §. 2. Quotiens de modo quartæ retinendæ quæritur, propter periculum plus petendi, officio judicis omnibus æſtimatis, quarta facienda eſt, quæ apud heredem remaneat: aut certe exigenda cautio a legatario, ut quod plus dodrante perceperit, reſtituat [18]. §. 3. Ea, quæ mater vivo filio donavit [19], in quartam non imputantur. §. 4. Ex mora præſtandorum fideicommiſſorum, vel legatorum fructus, & uſuræ peti poſſunt. Mora autem fieri videtur [20], cum poſtulanti non datur.

1 *l. 32. §. 6. ff. de aur. & arg. leg.* Ab eo diſſentiunt Sabinus, & Ulpianus. *l. 70. in princ. & §. 2. ff. de leg. 3.* 2 *l. 25. §. mundus. ff. de aur. & arg. leg.* 3 *l. 32. §. pen. ff. eod. d. §. mundus.* 4 Tertullianus *in lib. de hab. mulieb.* ita diſtinguit: Habitus, fœminæ duplicem ſpeciem circumfert, cultum, & ornatum. Cultum quem mundum muliebrem vocant. Ornatum, quem mundum muliebrem convenit dici. Iſte in auro & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: ille in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. 5 *l. 25. §. ornamenta. ff. de auro & argento leg.* 6 Ut auro, ita & argento legato vaſa continentur. *l. 19. §. ult. ff. de aur. & argent. leg.* Sed magis eſt voluntatis quæſtio. 7 *l. 88. ff. de leg. 3.* 8 *l. 19. §. ſed cui vaſa. ff. de aur. & arg. leg.* 9 *l. 52. ff. de legat. 3.* 10 Auro legato factum, infectumque debetur. *l. 19. in princ. ff. de aur. & arg. leg.* itemque gemmæ auro incluſæ. *d. l. 19. §. perveniamus.* 11 *d. l. 19. §. ſimili modo.* 12 *l. 21. l. 36. ff. de aur. & arg. leg.* 13 *l. 38. §. 8. ff. de ædil. edict. l. 3. ff. de aur. & arg. leg.* 14 Id eſt, deminutum. *l. 2. §. 1. ff. de cond. indeb.* Scribe, reciſum.

15 Ut dictum eſt *l. 2. t. 23. §. 1. de don.* 16 *§. 1. de donat.*

17 Erat lex Falcidia de legatis, ſed Pegaſiano S. C. ad fideicommiſſa, conſtitutione Severi ad donationes cauſa mortis etiam producta eſt. 18 *l. 1. cum dicitur. ff. ſi cui plus quam per legem Falc. l. 2. C. de uſur. & fruct. leg.* 19 Niſi ideo donata ſint, ut integra heres legata præſtaret. *l. 56. §. ult. ff. ad leg. Falcid.* aut ea mente donentur, ut in eam imputentur. *l. 35. §. 2. C. de inoffic. teſt.* 20 Per litis conteſtationem. *l. 1. C. de uſur. & fruct. leg.*

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
LIBER QUARTUS.

TIT. I.
DE FIDEICOMMISSIS.

§. 1. Ab uxore, cui vir dotem prælegavit, fideicommiſſum relinqui non poteſt: quia non ex lucrativa cauſa teſtamento aliquid capit, ſed proprium [1] recipere videtur. §. 2. A poſtumo herede inſtituto [2] fideicommiſſum dari poteſt. §. 3. Ab imperatore [3] herede inſtituto legatum, & fideicommiſſum dari poteſt.

§. 4. A ſurdo [4], vel muto, ſive legatum acceperit, ſive heres inſtitutus ſit, vel ab inteſtato ſucceſſerit, fideicommiſſum relinquitur.

§. 5. Qui fideicommiſſum relinquit, etiam cum eo, cui relinquit, loqui poteſt [5]: velut, *Peto, Gai Sei contentus ſis illa re*, aut, *volo tibi illud præſtari.* §. 6. Fideicommittere his verbis poſſumus *rogo, peto, volo, mando* [6], *deprecor, cupio, injungo. Deſidero* [7] quoque & *impero* verba utile faciunt fideicommiſſum. *Relinquo* [8] vero, & *commendo* [9], nullam fideicommiſſi pariunt actionem. §. 7. Tam noſtras res, quam alienas per fideicommiſſum relinquere [10] poſſumus: ſed noſtræ ſtatim, alienæ autem æſtimatæ, aut redemptæ præſtantur.

§. 8. Si alienam rem tanquam ſuam teſtator per fideicommiſſum reliquerit, non relicturus, ſi alienam ſciſſet, ut ſolet legatum, ita inutile erit [11] fideicommiſſum. §. 9. Teſtator ſupervivens, ſi eam rem, quam reliquerat, vendiderit, extinguitur [12] fideicommiſſum.

§. 10. Codicillis, qui teſtamento confirmati non ſunt, adſcriptum fideicommiſſum jure debetur. §. 11. Filio quibuscunque verbis a patre fideicommiſſum relictum, jure debetur. Sufficit enim inter conjunctas perſonas, quibuscunque verbis, ut in donatione, voluntas expreſſa: & ideo etiam pridie [13], quam moriatur, recte relictum videtur.

§. 12. In tempus emancipationis, vel cum ſui juris erit, fideicommiſſum relictum [14] quocumque modo patria poteſtate liberato debetur.

§. 13. Rogati invicem ſibi, ſi ſine liberis deceſſerint, hereditatem reſtituere, altero decedente ſine liberis, hereditas ad eum pervenit, qui ſupervixit, nec ex eo paciſci [15] contra voluntatem teſtatoris poſſunt.

§. 14. Heres ante aditam hereditatem, legatarius antequam legatum accipiat, fideicommiſſum præſtare non poſſunt. §. 15. Rem fideicommiſſam ſi heres vendiderit, eamque ſciens comparaverit, nihilominus in poſſeſſionem [16] ejus fideicommiſſarius mitti jure deſiderat.

§. 16. Quotiens libertis fideicommiſſum relinquitur, ad eos tantummodo [17] placuit pertinere, qui manumiſſi ſunt, vel qui in eodem teſtamento libertatem, intra numerum legitimum conſecuti ſunt.

§. 17. Cui ab herede fideicommiſſum non præſtatur non ſolum in res hereditarias [18], ſed & in proprias [19] heredis inducitur.

§. 18. Jus omne fideicommiſſi non in vindicatione, ſed in petitione [20] conſiſtit.

TIT. II.
DE SC. TREBELLIANO.

Senatusconſulto Trebelliano proſpectum eſt, ne ſolus heres omnibus hereditariis actionibus oneretur. Et ideo quotiens hereditas ex cauſa fideicommiſſi reſtituitur, actiones ejus in fideicommiſſarium transferuntur [21]: quia unicuique damnoſam eſſe fidem ſuam non oportet.

TIT. III.
DE SC. PEGASIANO.

§. 1. Inter heredem & fideicommiſſarium, cui ex Pegaſiano hereditas reſtituitur, partis & pro parte ſtipulatio interponitur [22]: ut heredi inſtituto pro quarta actiones, pro ceteris vero portionibus fideicommiſſario competant. §. 2. Totam hereditatem reſtituere rogatus, ſi quartam retinere nolit, magis eſt, ut eam ex SC. Trebelliano [23] debeat reſtituere. Tunc enim omnes actiones in fideicommiſſarium dantur. §. 3. Lex Falcidia, itemque SC. Pegaſianum deducto omni ære alieno, Deorumque donis [24] quartam reſiduæ hereditatis ad heredem voluit pertinere. §. 4. Qui totam hereditatem reſtituit, cum quartam retinere ex Pegaſiano debuiſſet, repetere eam non poteſt [25]. Nec enim indebitum ſolviſſe videtur, qui plenam fidem defuncto præſtare maluit.

TIT. IV.
DE REPUDIANDA HEREDITATE.

§. 1. Recuſari hereditas [26] non tantum verbis, ſed etiam re poteſt, & alio quovis indicio voluntatis. §. 2. Heres per magiſtratus municipales, ex auctoritate præſidis [27], fideicommiſſario poſtulante, hereditatem adire, & reſtituere compellitur.

§. 3. Fideicommiſſarius ſi affirmet heredem nolle adire hereditatem, abſente eo interponi decretum [28], & in poſſeſſionem mitti jure deſiderat. §. 4. Suſpectam hereditatem adire compulſus, omnia [29] ex Trebelliano reſtituit.

TIT. V.
DE INOFFICIOSI QUERELA.

§. 1. Inofficioſum dicitur teſtamentum, quod fruſtra, liberis exheredatis, non ex officio pietatis [30], videtur eſſe conſcriptum. §. 2. Poſt factum a matre teſtamentum filius procreatus, non mutata ab ea, cum poſſet, voluntate ad exemplum præteriti, inofficioſi [31] querelam recte inſtituit. §. 3. Teſtamentum, in

1 *l. 77. §. fideic. ff. de legat. 2.* Eademque ratione lex Falcidia hoc legatum non minuit. *l. 81. §. 1. ff. ad leg. Falc.* 2 Licet alienus ſit. *l. pen. ff. de legat. 1. l. 1. §. pen. ff. de legat. 3.* 3 Quia jus habet commune cum ceteris. *l. 7. C. qui teſtam. fac. poſſ.* 4 *l. 77. §. ſurdo. ff. de legat. 2.* 5 *l. 69. ff. de legat. 2. l. 11. §. 4. ff. de legat. 3.* ſcripſimus *Obſerv. l. 2. c. 3.* 6 *§. ultim. Inſt. de ſing. reb. per fideic. rel. l. 2. C. com. de legat.* 7 *l. 115. l. 118. ff. de legat. 1.* 8 At videtur eſſe precarium. *l. 78. §. 8. ff. ad SC. Trebell.* 9 *l. 12. C. de fideicommiſſ. libert. l. 11. §. 2. ff. de legat. 3.* 10 Per damnationem. Ulpian. *titul. de fideicomm.* Per vindicationem jure civili non valet. *l. 39. ff. de manum. teſt.* 11 *l. 10. C. de legat. l. 6. C. de fideicommiſſ.* 12 Niſi alia mente teſtatorem alienaſſe probetur. *§. ſi rem ſuam. Inſt. de legat. l. 15. ff. de adim. leg.* 13 Paria ſunt, *Poſt mortem heredis*, & *Pridie quam morietur heres. §. poſt mortem, 35. Inſt. de legat.* Sed & *Cum morietur heres. l. 1. §. ſi emancipato. ff. de collat. bonorum. l. 11. §. ſi filio. ff. de legat. 3.* 14 Idemque juris uno tantum caſu expreſſo. *l. 11. §. ſi cui. ff. de legat. 3. l. 15. ff. quand. dies leg. ced. l. 3. C. de inſtit. & ſubſtit.* 15 *l. 21. 1. C. de pact. l. 11. C. de tranſact.* 16 Juſtinianus in rem miſſionem ſuſtulit. Igitur ſupereſt dumtaxat vindicatio: emptori autem malæ fidei adverſus heredem ſolius pretii repetitio dabitur. *l. ult. C. com. de legat.*

17 Idem interdum datur & manumiſſis per fideicommiſſum, & libertorum libertis. *l. 2. l. 16. §. 1. ff. de aliment. legat.* 18 Niſi malit ſeparationem bonorum impetrare. *l. penult. ff. de ſepar.* 19 Ob cautionem non præſtitam non mittitur in res heredis proprias, niſi certis modis. *l. 5. §. Imp. ff. ut in poſſ. legat.* 20 Legata vindicamus, fideicommiſſa petimus. *l. 22. §. 1. ff. ad SC. Trebell.*

21 Quod ideo proditum eſt, ne cui periculoſa eſſet fides ſua. *l. 1. ff. ad SC. Trebell.*

22 Communicantur tamen onera inter heredem & fideicommiſſarium, interpoſitis ſtipulationibus partis & pro parte. *§. poſt quod. Inſt. de fideicom. hered.* 23 *l. 45. ff. ad SC. Treb.* 24 Argum. *l. 5. §. 12. ff. de don. inter vir. & uxor.* 25 Quia ſciens reſtituit. *l. 1. l. ult. C. ad leg. Falcid. l. 5. §. 15. ff. de don. int. vir. & uxor.*

26 *l. 16. §. 4. §. 10. ff. ad SC. Treb. l. 95. ff. de adquir. vel omitt. hered.* 27 Eodemque modo Duumviri tutores dant, *l. 46. §. 6. ff. de admin. tutor.* cum tamen neutrum imperii ſit, aut juriſdictionis. 28 *l. 6. ff. ad SC. Trebell. l. 67. ff. eod. l. pen. §. ult. C. eod.* 29 *l. 4. l. 45. ff. ad SC. Trebell. §. ſed ſi recuſabat. Inſt. de fideicom. hered.*

30 Vel contra officium pietatis. *l. 2. ff. de inoffic. teſtam.* 31 *l. 3. C. de inoffic. teſtam.*

 quo

quo Imperator [1] ſcriptus eſt heres, inofficioſum argui poteſt. Eum enim qui leges facit [2], pari majeſtate legibus obtemperare convenit.

§. 4. Qui inofficioſum dicere poteſt, hereditatem petere [3] non prohibetur. §. 5. Filius ex aſſe heres inſtitutus inofficioſum dicere non poteſt, nec intereſt, exhauſta, nec ne ſit hereditas, cum apud eum quarta [4] aut legis Falcidiæ, aut SC. Pegaſiani beneficio ſit remanſura.

§. 6. Quarta portio liberis deducto ære alieno, & funeris impenſa præſtanda eſt, ut ab inofficioſi querela excludantur: libertates [5] quoque eam portionem minuere placet. §. 7. Filius in judicio patris ſi minus quarta portione conſecutus ſit, ut quarta ſibi a coheredibus fratribus [6] citra inofficioſi querelam impleatur, jure deſiderat. §. 8. Pactio talis, ne de inofficioſo teſtamento dicatur, querelam ſuper judicio futuram non excludit. Meritis [7] enim liberos, quam pactionibus adſtringi placuit. §. 9. Rogatus hereditatem reſtituere, etſi inofficioſi querelam inſtituerit, fideicommiſſo non fit injuria: quartam enim ſolummodo hereditatis amittit [8], quam beneficio Senatusconſulti habere potuiſſet. §. 10. Heres inſtitutus habens ſubſtitutum, ſi de inofficioſo dixerit, nec obtinuerit, non id ad fiſcum, ſed ad ſubſtitutum [9] pertinebit.

TIT. VI.
DE VICESIMA [10].

§. 1. TAbulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, ut teſtes, vel maxima pars eorum adhibeantur, qui ſignaverint teſtamentum: ut ita agnitis ſignis, rupto lino aperiatur, & recitetur [11], atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in archium redigatur: ut ſi quando exemplum ejus interciderit [12], ſit, unde peti poſſit. §. 2. Teſtamenta in municipiis, coloniis, oppidis, præfectura, vico, caſtello, conciliabulo facta, in foro, vel baſilica præſentibus teſtibus, vel honeſtis viris, inter horam ſecundam & decimam diei recitari debent, exemploque ſublato, ab iisdem rurſus magiſtratibus [13] obſignari, quorum ſententia conſtat aperta. §. 3. Teſtamentum lex ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri voluit: & ideo quamvis ſit reſcriptis variatum, tamen a præſentibus intra triduum, vel quinque dies aperiendæ ſunt tabulæ: ab abſentibus quoque intra eos dies, cum ſupervenerint. Nec enim [14] oportet teſtamentum heredibus, aut legatariis, aut libertatibus, quam neceſſario [15] vectigali moram fieri.

TIT. VII.
DE LEGE CORNELIA.

§. 1. QUi teſtamentum falſum ſcripſerit, recitaverit, ſubjecerit, ſignaverit, ſuppreſſerit, amoverit, reſignaverit, deleverit, pœna legis Corneliæ [16] de falſis tenebitur, id eſt, in inſulam deportatur. §. 2. Non tantum is, qui teſtamentum ſubjecit, ſuppreſſit, delevit, pœna legis Corneliæ coërcetur, ſed & is [17], qui ſciens dolo malo id fieri juſſit, faciendumve curavit. §. 3. Teſtamentum ſupprimit, qui ſciens prudensque tabulas teſtamenti in fraudem heredum, legatariorum, fideicommiſſariorum, aut libertatum non profert [18]. §. 4. Supprimere tabulas videtur, qui cum habeat, & proferre poſſit, eas proferre non curat [19]. §. 5. Codicilli quoque [20] ſi lateant, nec proferantur, ſupprimi videbuntur. §. 6. Edicto perpetuo cavetur, ut ſi tabulæ teſtamenti non appareant, de earum exhibitione interdicto reddito, intra annum [21] agi poſſit, quo ad exhibendum compellitur qui ſupprimit. Tabularum autem appellatione chartæ quoque, & membranæ continentur.

TIT. VIII.
DE INTESTATORUM SUCCESSIONE.

§. 1. INter agnatos & cognatos hoc intereſt [22], quod in agnatis etiam cognati continentur, inter cognatos vero agnati non comprehenduntur. Et ideo patruus & agnatus eſt, & cognatus, avunculus autem cognatus tantummodo. §. 2. Si ſint fratres defuncti [23], & fratris filii, vel nepotes, fratre non exiſtente filius fratris nepoti præfertur. §. 3. Fœminæ ad hereditates legitimas ultra conſanguineas ſucceſſiones non admittuntur, idque jure civili [24], vel Voconia narratione videtur effectum. Ceterum lex XII. Tabul. nulla diſcretione ſexus cognatos admittit. §. 4. In hereditate legitima ſucceſſioni locus non eſt. Et ideo fratre decedente antequam adeat, aut repudiet hereditatem, fratris filius admitti non poteſt [25], quia omnis ſucceſſio proximiori defertur. §. 5. Ab hoſtibus captus neque ſui, neque legitimi heredis jus amittit poſtliminio reverſus. Quod & circa eos, qui in inſulam deportantur, vel ſervi pœnæ effecti ſunt, placuit obſervari, ſi per omnia in integrum indulgentia principali [26] reſtituantur.

§. 6. Pro herede gerere, eſt deſtinatione futuri dominii aliquid ex hereditariis rebus uſurpare. Et ideo pro herede gerere videtur [27], qui fundorum hereditariorum culturas, rationesque diſponit, & qui ſervis hereditariis, jumentis, rebusve aliis utitur. §. 7. Ex pluribus heredibus iisdemque legitimis, ſi qui omiſerint hereditatem, vel in adeundo aliqua ratione fuerint impediti, his, qui adierunt, vel eorum heredibus omittentium portiones adcreſcunt. Quod in herede inſtituto eum, qui acceperat ſubſtitutum [28], evenire non poterit. Diverſa enim cauſa eſt ſcripti & legitimi.

TIT. IX.
AD SENATUSCONSULTUM TERTULLIANUM.

§. 1. MAtres tam ingenuæ, quam libertinæ, cives Romanæ, ut jus liberorum conſecutæ videantur, ter & quater peperiſſe ſufficiet, dummodo vivos [29], & pleni temporis pariant.

§. 2. Quæ ſemel uno partu tres filios edidit, jus liberorum non conſequitur. Non enim ter peperiſſe, ſed ſemel partum fudiſſe videtur, niſi forte per intervalla [30] pariat. §. 3. Mulier ſi monſtroſum aliquid, aut prodigioſum enixa ſit, nihil proficit [31]. Non ſunt enim liberi, qui contra formam humani generis, converſo more procreantur.

§. 4. Partum, qui membrorum humanorum officia ampliavit, aliquatenus videtur effectus, matri prodeſſe placuit [32]. §. 5. Septimo menſe natus matri prodeſt [33]. Ratio enim Pythagorei numeri hoc videtur admittere, ut aut ſeptimo pleno, aut decimo menſe partus maturior videatur. §. 6. Abortus, vel abactus venter partum efficere [34] non videtur. §. 7. Libertina ut jus liberorum conſequi poſſit, quater eam peperiſſe ſufficit. §. 8. Latina ingenua jus Quiritum conſecuta, ſi ter peperit, ad legitimam filii hereditatem admittitur, non eſt enim manu emiſſa. §. 9. Jus liberorum mater habet, quæ tres filios aut habet, aut habuit, aut neque habet, neque habuit. Habet, cui ſuperſunt: habuit, quæ amiſit. Neque habet neque habuit, quæ beneficio principis jus liberorum conſecuta eſt.

TIT. X.
AD SENATUSCONSULTUM ORPHITIANUM.

§. 1. FIlii vulgo quæſiti ad legitimam matris hereditatem aſpirare non prohibentur [35]: quia pari jure ut ipſorum matribus, ita ipſis matrum hereditas deferri debuerunt. §. 2. Ad filiam ancillam, vel libertam ex SC. Claudiano effectam, legitima matris inteſtatæ hereditas pertinere non poteſt [36]: quia neque ſervi, neque liberti matrem civilem habere intelliguntur. §. 3. Ad legitimam inteſtatæ matris hereditatem filii cives Romani, non etiam Latini admittuntur. Cives autem Romanos eo tempore [37] eſſe oportet, quo ab iisdem legitima hereditas aditur. §. 4. Filius maternam hereditatem, eandemque legitimam, niſi adeundo [38] quærere non poteſt.

TIT. XI.
DE GRADIBUS.

§. 1. PRimo gradu ſuperiori linea [39] continentur pater, mater: inferiori filius, filia, quibus nullæ aliæ perſonæ junguntur.

§. 2. Secundo gradu continentur ſuperiori linea avus, avia, inferiori nepos, neptis: transverſa frater, ſoror: quæ perſonæ duplicantur. Avus enim, & avia tam ex patre, quam ex matre: nepos, neptis tam ex filio, quam ex filia: frater, ſoror tam ex patre, quam ex matre accipiuntur. Quæ perſonæ ſequentibus quibuscunque gradibus ſimiliter pro ſubſtantia earum, quæ in quoquo gradu conſiſtunt, ipſo ordine duplicantur [40].

§. 3. Tertio gradu [41] veniunt ſupra proavus, proavia, infra pronepos, proneptis: ex obliquo fratris, ſororisque filius, filia, patruus, amita, id eſt, patris frater & ſoror: Avunculus, matertera, id eſt, matris frater & ſoror. §. 4. Quarto gradu [42] veniunt ſupra abavus, abavia: infra abnepos, abneptis. Ex obliquo fratris & ſororis nepos, neptis, frater patruelis, ſoror patruelis, id eſt, patrui filius, filia: conſobrinus, conſobrina, id eſt, avunculi & materteræ filius, filia: amitinus, amitina, id eſt, amitæ filius, filia: itemque conſobrini, qui ex duabus ſororibus naſcuntur. Quibus adcreſcit patruus magnus, amita magna, id eſt, avi paterni frater & ſoror: Avunculus magnus, matertera magna, id eſt, aviæ tam paternæ, quam maternæ frater & ſoror.

§. 5. Quinto gradu [43] veniunt ſupra quidem, atavus, atavia, infra atnepos, atneptis: ex obliquo fratris & ſororis pronepos, proneptis, fratris patruelis, ſororis patruelis, amitini, amitinæ, conſobrini, conſobrinæ filius, filia, propius ſobrinus ſobrina, id eſt, patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ filius, filia. His adcreſcunt propatruus, proamita, hi ſunt proavi paterni frater & ſoror; proavunculus, promatertera, hi ſunt proaviæ paternæ, maternæque frater & ſoror, proavique materni. §. 6. Sexto gradu [44] veniunt ſupra tritavus, tritavia, infra trinepos, trineptis. Ex obliquo fratris & ſororis abnepos, abneptis, fratris patruelis, ſororis patruelis, amitini, amitinæ, conſobrini, conſobrinæ nepos, neptis: patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ nepos, neptis, id eſt, propioris ſobrini filius, filia, qui conſobrini appellantur. Quibus ex latere adcreſcunt propatrui, proamitæ, proavunculi, promaterteræ filius, filia: Abpatruus abamita, hi ſunt abavi paterni frater & ſoror: Abavunculus abmatertera, hi ſunt abaviæ paternæ, maternæque frater & ſoror, abavique materni. §. 7. Septimo gradu [45] qui ſunt cognati recta linea ſupra, infraque, propriis nominibus non appellantur: ſed ex transverſa linea continentur fratris, ſororisve atnepos, atneptis, conſobrini filii, filiæque. §. 8. Succeſſionis idcirco gradus ſeptem conſtituti ſunt, quia ulterius per rerum naturam nec nomina inveniri, nec vita [46] ſuccedentibus prorogari poteſt.

[illegible]

22 *l. penult. ff. unde legit.* 23 Sic lego, *Si ſint frater defuncti, & fratris filius vel nepos, frater filio fratris, vel eo non exiſtente, nepoti præfertur. §. ſi plures, Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* 24 Jure novo. *§. ceterum, de legitim. agnat. ſucceſſ.* 25 Non dabitur Unde legitimi, dabitur tamen Unde cognati. *§. placebat. 7. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Ex *l. 4. C. de bon. lib.* 26 *l. 1. §. filio. ff. ad SC. Tertyll. l. 1. §. ultim. ff. de bon. poſſ. contr. tab.* non tamen manumiſſione, *l. 7. ff. unde cogn.* 27 Quod fuſius explicatur in *l. 20. ff. de adquir. vel omitt. hered.* 28 Legendum cenſeo, *eoque coheredi ſubſtituto*, ut in *l. 9. ff. de ſuis & legit.*

29 Nati enim non videntur, qui mortui naſcuntur, & contra naturam, ac leges videntur naſci, qui immaturo partu eduntur. 30 *l. 137. ff. de verb. ſign. l. 15. ff. de ſtat. hom.* 31 *l. 14. ff. de ſtat. hom.* Contra Ulpianus in *l. 135. ff. de verborum ſignification.* Hic de lucro certatur, ibi de damno. Plus autem favendum eſt his, qui de damno vitando, quam de lucro captando certant, *l. ult. §. ſin vero creditores. C. de jur. delib.* 32 *l. 14. ff. de ſtat. hom.* 33 *l. 12. ff. de ſtat. hom.* 34 *l. 2. C. de poſth. hered.* Et ideo abortu facto, finitur miſſio in poſſeſſionem. *l. 1. in fin. ff. de vent. in poſſ. mitt.*

35 *§. noviſſime. 3. Inſt. de SC. Orph.* 36 *l. 1. §. filio. ff. ad SC. Tertyll.* 37 *l. 1. §. filio. ff. ad SC. Tertyll.* 38 *l. 3. C. ad SC. Orphitian.* eodemque modo mater filio heres fit, *l. 1. C. Theod. de cret. vel bon. poſſeſſ. l. 1. C. Theod. de leg. her.*

39 *l. 9. ff. de grad. & adfin.* 40 *l. 10. §. 2. ff. de grad. & adfin.* 41 Tertio gradu continentur perſonæ 10. duplicatæ 32. 42 In quarto gradu perſonæ continentur 80. 43 Quinto gradu continentur perſonæ 184. 44 Sexto gradu continentur perſonæ 448. 45 Septimo gradu continentur perſonæ mille 24. 46 *l. 4. ff. de grad. & adfin.*

TIT.

TIT. XII.
DE MANUMISSIONIBUS.

§. 1. SErvum communem unus ex dominis manumittendo Latinum facere non poteſt, nec magis, quam civem Romanum: cujus portio eo caſu, quo ſi proprius eſſet, ad civitatem Romanam perveniret, ſocio adcreſcit [1]. §. 2. Mutus, & ſurdus ſervum vindicta liberare non poſſunt [2]. Inter amicos tamen, & per epiſtolam manumittere non prohibentur. Ut autem ad juſtam libertatem pervenire poſſit, conditione venditionis excipi poteſt. §. 3. Tormentis apud Præſidem ſubjectus, & de nulla culpa confeſſus, ad juſtam libertatem [3] perduci poteſt. §. 4. Fideicommiſſa libertas [4] data, facto heredis non mutatur, ſi ſervum, quem manumittere juſſus eſt, vinxerit.

§. 5. Communem ſervum unus ex ſociis vinciendo, futuræ libertati non nocebit. Inter pares enim ſententias, clementior ſeveriori præfertur. Et certe humanæ rationis eſt favere miſerioribus, & prope innocentes dicere, quos abſolute nocentes pronunciare non poſſumus.

§. 6. Debitor creditorve ſervum pignoris vinciendo, dedititium facere non poſſunt. Alter enim ſine altero cauſam pignoris [5] deteriorem facere non poteſt. §. 7. Servus furioſi domini, vel pupilli juſſu vinctus [6], dedititiorum numero non efficitur: quia neque furioſus, neque pupillus exacti conſilii capax eſt. §. 8. Non tantum ſi ipſe dominus [7] vinciat, nocet libertati, ſed & ſi vinciri jubeat, aut vincientis procuratoris actorisve factum comprobet. Quod ſi antequam ſciret vinctum, ſolutionis ejus cauſas approbaverit, libertati futuræ vincula non nocebunt. §. 9. Cæco curator dari non poteſt [8], quia ipſe ſibi procuratorem inſtituere poteſt.

TIT. XIII.
DE FIDEICOMMISSIS LIBERTATIBUS.

§. 1. EA conditione heres inſtitutus, ſi liberos ſuos emancipaverit, omnimodo eos emancipare cogendus eſt [9]. Pro conditione enim hoc loco emancipatio videtur adſcripta. §. 2. Decedente eo, a quo fideicommiſſa libertas relicta eſt, heredes ejus eam præſtare [10] cogendi ſunt. §. 3. Si decedens ſervis ſuis libertatem ita dederit, Illum & illum liberos eſſe volo, eosque filiis meis tutores do, impeditur fideicommiſſa libertas: quia pupilli ſine tutoris auctoritate manumittere non poſſunt, & habentibus tutores tutor dari non poteſt: ſed interim vice abſentium pupilli habentur, ut ex decreto ampliſſimi ordinis primum libertas [11], ac deinde tutela competere poſſit.

TIT. XIV.
AD LEGEM FUSIAM CANINIAM.

§. 1. NOminatim [12] ſervi teſtamento manumitti ſecundum legem Fuſiam poſſunt. Nominatim autem manumittere intelligitur hoc modo, *Stichus liber eſto.* Cum autem, *Obſonatorem, vel qui ex ancilla illa naſcitur, liberum eſſe volo*, ex Orphitiano SC. perinde libertas competit, ac ſi nominatim data ſit. Officiorum enim, & artium appellatio nihil de ſignificatione nominum mutat, niſi forte plures ſint, qui eo officio deſignentur. Tunc enim nomen adjungendum eſt, ut eluceat, de quo teſtator ſenſiſſe videatur. §. 2. Codicillis teſtamento confirmatis datæ libertates cum his, quæ tabulis teſtamenti datæ ſunt, concurrunt: & ſive antecedant, ſive ſequantur teſtamentum, noviſſimo loco adhibentur, quia ex teſtamento utræque confirmantur.

§. 3. Quotiens numerus ſervorum propter legem Fuſiam Caniniam ineundus eſt, fugitivi quoque [13] quorum ſemper poſſeſſio animo retinetur, computandi ſunt. §. 4. Lege Fuſia Caninia cavetur, ut certus ſervorum numerus [14] teſtamento manumittatur. Subductis igitur duobus usque ad X. pars dimidia, a X. usque ad XXX. pars tertia, a XXX. usque ad C. pars quarta, a C. usque ad D. pars quinta. Plures autem, quam centum ex majori numero ſervorum manumitti non licet.

1 Hæc Juſtinian. mutat in *l. 1. C. de comm. ſerv. manum.* 2 *l. 10. C. qui teſtam. fac. poſſunt. l. 1. ff. qui & a quibus manum.* 3 Auctor Ulpian. *in fragm. tit. 1.* 4 *l. 2. ff. de fideic. libert.* 5 *l. 24. §. ult. ff. de pign. act.* 6 Vincula quemadmodum in lege Ælia Sentia de dedititiis accipiantur, Ulpian. exponit in *l. 216. ff. de verborum ſignific.* 7 Hodie ſublata eſt dedititiorum conditio: Itaque uſui hæc eſſe non poſſunt. 8 Curator dari ſolet muto, ſurdo, prodigo. *l. 43. ff. de procurat.* Cæco non datur. *l. 9. ff. de adoption. l. 2. ff. de bon. poſſ. fur. infant.*

9 *l. 92. ff. de condit. & demonſtr.* 10 *l. 12. §. 1. ff. de fideic. libert.* 11 *l. 9. C. de fideic. libert.*

12 *l. 24. ff. de manum. teſtam.* 13 *l. 1. §. 14. l. 50. in fin. ff. de adquir. vel amitt. poſſ. l. 25. §. ult. ff. de liber. cauſ.* 14 De quo in *l. ſi Judæi. C. Theod. de Judæis.* & *in primo tit. hujus libri.*

JULII PAULI
RECEPTARUM SENTENTIARUM
LIBER QUINTUS.

TIT. I.
DE LIBERALI CAUSA.

§. 1.

QUi contemplatione extremæ neceſſitatis, aut alimentorum gratia filios ſuos vendiderint, ſtatui ingenuitatis eorum non præjudicant [1]. Homo enim liber nullo pretio æſtimatur. Iidem nec pignori ab his, aut fiduciæ dari poſſunt. Ex quo facto ſciens creditor deportatur. Operæ tamen eorum locari poſſunt. §. 2. Veritati & origini ingenuitatis manumiſſio, quocumque modo facta fuerit, non præjudicat [2]. §. 3. Deſcriptio ingenuorum ex officio fiſci [3] inter fiſcalem familiam facta, ingenuitati non præjudicat. §. 4. Qui metu & impreſſione alicujus terroris apud acta Præſidis ſervum ſe eſſe mentitus eſt, poſtea [4] ſtatum ſuum defendenti non præjudicat. §. 5. Poſt ſuſceptum liberale judicium, ſi aſſertor cauſam deſeruerit, in alium aſſertorem omne judicium transferri placuit. In priorem vero quod prodendæ libertatis gratia factum eſt, extra ordinem vindicatur. Non enim oportet ſuſceptam ſtatus cauſam, nulla cogente neceſſitate, deſtitui [5].

TIT. II.
DE USUCAPIONE.

§. 1. POſſeſſionem adquirimus animo & corpore: animo utique noſtro [6], corpore vel noſtro, vel alieno. Sed nudo animo adipiſci quidem poſſeſſionem non poſſumus, retinere tamen nudo animo poſſumus, ſicut in ſaltibus hybernis [7], æſtivisque contingit.

§. 2. Per liberas perſonas, quæ in poteſtate noſtra non ſunt, adquiri nobis nihil poteſt. Sed per procuratorem [8] adquiri nobis poſſeſſionem poſſe, utilitatis cauſa receptum eſt. Abſente autem domino comparata, non aliter ei quam ſi rata ſit [9], quæritur. §. 3. Longi temporis præſcriptio inter præſentes continuo decennii ſpatio, inter abſentes vicennii comprehenditur. §. 4. Viginti annorum præſcriptio etiam adverſus Remp. prodeſt [10] ei, qui juſtum initium poſſeſſionis habuit, nec medio tempore interpellatus eſt. Actio tamen quanti ejus intereſt adverſus eos Reipub. datur, qui ea negotia defendere neglexerunt.

§. 5. Si poſt motam [11] intra tempora quæſtionem, res ad novum dominum emptione tranſierit, nec is per XX. annos fuerit inquietatus, avelli ei poſſeſſionem non oportet.

TIT. III.
DE HIS, QUÆ PER TURBAM FIUNT.

§. 1. IN eos, qui per turbam, ſeditionemve damnum alicui dederint, dandumve curaverint, ſi quidem res pecuniaria eſt, æſtimatione dupli [12] ſarcitur. Quod ſi ex hoc corpori alicujus, vitæ, membrisve noceatur, extra ordinem vindicatur. §. 2. Quidquid ex incendio, ruina, naufragio, navique expugnata raptum, ſuſceptum, ſuppreſſumve erit, eo anno in quadruplum [13] ejus rei, quam quis ſuppreſſerit, celaverit, rapuerit, convenitur, poſtea, in ſimplum.

§. 3. Hi, qui ædes alienas, villasve expilaverint, effregerint, expugnaverint, ſi quidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniuntur [14]. Telorum autem appellatione omnia, ex quibus ſaluti hominis nocere poſſunt, accipiuntur. §. 4. Receptores aggreſſorum, itemque latronum eadem pœna [15] afficiuntur, qua ipſi latrones. Sublatis enim ſuſceptoribus, graſſantium cupido conquieſcit. §. 5. Fures, vel raptores balnearum plerumque in metallum, aut in opus publicum [16] damnantur. Nonnumquam pro frequentia admiſſorum judicantis ſententia temperatur. §. 6. Incendiarii, qui conſulto incendium inferunt, ſummo ſupplicio afficiuntur. Quod ſi per incuriam eorum ignis evaſerit, dupli compendio [17] damnum ejusmodi ſarciri placuit.

TIT. IV.
DE INJURIIS.

§. 1. INjuriam patimur aut in corpus aut extra corpus. In corpus verberibus, & illatione ſtupri. Extra corpus, convitiis [18], & famoſis libellis: quod ex affectu uniuscujusque [19] patientis, & facientis æſtimatur. §. 2. Furioſus, itemque infans affectu doli, & captu contumeliæ carent: idcirco injuriarum [20] agi cum his non poteſt. §. 3. Si liberis, qui in poteſtate ſunt, aut uxori fiat injuria, noſtra intereſt vindicare: ideoque per nos actio inferri poteſt, ſi modo is, qui fecit, in injuriam noſtram [21] id feciſſe doceatur. §. 4. Corpori injuria infertur, cum quis pulſatur, cuive ſtuprum infertur, aut de ſtupro interpellatur [22]. Quæ res extra ordinem vindicatur, ita ut pulſatio pudoris, pœna capitis vindicetur. §. 5. Solicitatores [23] alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etſi effectu ſceleris potiri non poſſunt, propter voluntatem pernicioſæ libidinis extra ordinem puniuntur. §. 6. Injuriarum actio aut lege, aut more, aut mixto jure introducta eſt. Lege XII. tabul. [24] de famoſis carmi-

1 Pater filios vendere poteſt, ſi cogat egeſtas. *l. 2. C. de patr. qui fil. ſuos diſtr.* & ita venditus filius ſervus emptoris fit: ſed reddito emptori pretio, aut mancipio pari, ingenuitatem priſtinam recipiet: atque ita venditio illa, ingenuitati non præjudicat. 2 *§. ult. Inſt. de ingenuis.* 3 Idem eſt, ſi pater liberos profiteatur, velut ſervos. *l. 39. C. de liber. cauſa. l. 8. ff. de ſtat. hom.* 4 *l. 6. l. 24. C. de liber. cauſa.* 5 Libertas enim publicam tutelam meretur. *l. 2. ff. ne de ſtat. def. l. 3. §. hoc interdictum. ff. de lib. hom. exh.*

6 Ex cauſa peculiari animo etiam alieno poſſeſſionem adquirimus. *l. 3. §. ſaltus. ff. de adquirend. poſſeſſ.* 7 Quod dicitur de ſaltibus, ad omnia prædia pertinet. *l. 1. §. quod vulgo. ff. de vi.* 8 *l. 1. l. 8. C. de adq. poſſ. l. 1. C. per quas perſon. nob. adq.* 9 *l. 42. §. ult. ff. de adquir. poſſ. l. 24. ff. de neg. geſt.* 10 Actio tamen quanti intereſt, in adminiſtratorem, vel curatorem civitatis competit, quod a poſſeſſore agros Reipub. non retraxerit. *l. ult. ff. de adm. rer. ad civit. pert.* 11 Sumpta eſt hæc ſententia ex *l. 1. C. de præſcript. long. temp.*

12 Intra annum, poſt annum in ſimplum. *l. 4. ff. vi bon. rapt.* 13 *l. 1. ff. de inc. ruin. & nauf.* 14 Extat hæc ſententia in *l. pen. ff. ad l. Jul. de vi pub.* 15 *l. 3. §. non tantum. ff. de incend. ruin. & naufr. l. 1. ff. de recept. l. pen. C. ad legem Jul. de vi pub.* 16 Pari pœna afficiuntur nocturni fures. *l. 1. ff. de fur. baln.* 17 *l. 28. §. 12. ff. de pœnis. l. 9. l. pen. ff. de inc. ruin. & nauf. l. 10. ff. ad leg. Corn. de ſic.* & hæc eſt quæ incenſarum ædium actio dicitur in *l. 7. ff. de pact.*

18 *l. 1. §. omnem. ff. de injur.* 19 *l. 3. §. 1. ff. eod. §. ult. Inſt. de injur.* 20 *l. 3. §. 1. ff. de injur.* 21 Si patremfam. aut viduam eſſe exiſtimaverit, non poteſt videri patri, aut marito injuriam feciſſe. *l. 18. §. ult. ff. de injur.* 22 Interpellatio pudicitiæ magis ad infamiam pertinere videtur. *l. 1. §. omnem. ff. de injur.* 23 *l. 1. in prin. ff. de extraord. crim.* 24 Capitis pœna probatur etiam a *l. 1. C. de fam. libell.* aliæ in deſuetudinem abierunt.

nibus,